

F

anf.

SS

AVSPICE IEHOVA

SVB PRAESIDIO

VIRI CLARISSIMI ET EXCELLEN-

TISSIMI

D N.

M. IOHANNIS à FELDEN

IN ILLVSTRI AD ELMVM IV-

LIA Mathematicum Professoris publici

Præceptoris & fautoris sui ætatem
observandi.

DISPV TATIONEM HANC

PHYSICAM

De

COELO

PVBLICE TVEBITVR

IVSTVS MVLLERVS RON-

nenberga Brunovicenf.

*Aut. & Respon.**In novo Iuléo horis ante-**Pomeridianis.*

Ad diem VI. Iun.

HELMÆSTADI,

Excudit HENNINGVS MVLLERVS Acad. Typ.

Anno clc xl.



VIRIS,

Plurimum Reverendis, Excellentissimo,
Clarissimis,

Dn. LVDOLPHO VVIDEBVRGIO
Pastori apud Neostadienses primario, vi-
cinarumq; Ecclesiarum Inspectori meritif-
simo, Avo suo plurimum ve-
nerando.

Dn. HENRICO VVIDEBVRGIO
SS. Theol. D. celeberrimo, Illustriss. Principis
ac Domini, Domini AVGVSTI, Ducis Brunsv. &
Luneb. Concionatori Aulico, & per provinciam
Guelpherbytanam Superintendenti Gene-
ralissimo, avunculo suo atq; promotori
etatem observando.

Dn. M. IVSTO MVLLERO,
Verbi divini Ronnenbergæ præconi, vicina-
rumq; paræciarum Superintendenti vigilantissi-
mo, Patri suo omni observantiâ colendo.

VT ET

Prædenti & spectabili Viro,

Dn. IOHANNI MVLLERO, CIVI
& mercatori Brunsvicensi primario, cognato suo
multum honorando.

*Disputationem hanc in debite observantia signum, &
ulterioris favoris incitamentum inscribis*

& offert.

IVSTVS MYLLERVS.



Thesis I.



Inter omnes ferè corporis naturalis species, nulla est, cuius scientia cum illâ quæ de Cælo inscribitur iure sive præstantem ejus jucunditatem sive dignitatem spectes certare possit.

II. Ecquid enim dignius quàm oculis & mente decentissimam hanc cæli sæpius contemplari machinam & hæc occasione de omnipotentissimo ejus cum conditore tum gubernatore cogitare? optimè hinc Nazia. orat. 2. de Theol. quemadmodum ille, qui citharam affabrè constructam & elaboratam conspiciat, ejusque concentum audit, ipsum cithara artificem & citharedum mente reputat, licet de facie sibi ignotum, ita is qui mundi harmoniam percipit mundum à divino conditore & architecto, quamvis ab eo non videatur, creatum intelligit.

III. Quibus gemina prorsus apud Christianum illum Ciceronem. Lactantium leguntur l. 1. de fals. relig. c. 2. Nemo est tam rudis tam feris moribus, qui oculos in cælum tollens, tametsi nesciat cuius providentiâ regatur hoc omne quod cernitur, aliquem tamen esse non intelligat ex ipsa rerum magnitudine, motus dispositione, constantia, utilitate, pulcritudine, temperatione: nec fieri potest

A 3

quin

quin id quod mirabili ratione constat, consilio maiori aliquo
sibi instructum.

IV. Ecquid illo jucundius? cuius si statum spe-
ctemus, nihil firmitus; Si ordinem, nihil certius; si
pulcritudinem, nihil elegantius: ad quod confide-
randum per naturam quotidie instigamur. Hinc
Seneca de Ot. Sap. *Curiosum nobis natura ingenium dedit;*
& artis sibi ac pulcritudinis suae conscia spectatores nos tantis
rerum spectaculis genuit, perditura fructum sui, si tam magna
tam clara, tam subtiliter ducta, tam nitida, & non uno genere
formosa solitudini ostenderet. Sed vino vendibili fru-
stra fortassis suspendimus hederam: quare ad nobilif-
simam nobilissimi huius corporis naturam penitus
contemplandam accedamus. Non tamen omnia
hic quae hac de materia vel veterum nonnulli balbu-
dienter adhuc Philosophiam somniarunt, aut recentio-
rum quidam satis magnam copiam, nullis forte tamen aut
certe dubijs rationibus nixi congesserunt, adfere-
mus: sed illis potius quae ex ipsius Philosophorum
principis Aristotelis de caelo libris publice dicta sunt
inharebimus: Hunc enim solum non probabiliter &
more sophistarum, sed demonstrationibus argumen-
tisque ex naturam rei petitis de hac materia loqui vi-
demus.

V. Prius autem quam progrediamur sumen-
da ab initio quaedam erunt ex quibus omnis de caelo
doctrina deducitur I. Quodcumque insitum sibi prin-
cipium motus habet per se loco mobile est; Sed cor-
pus naturale omne insitum principium motus habet
E. omne corpus naturale per se loco mobile est. Ma-
ior est immediata: quid enim aliud est per se loco
mobile esse quam principium motus sibi inditum ha-
bere

bere? Minor patet, quia natura à quâ corpora dicuntur naturalia principium motus est. 2. Phys. t. 3. Ponimus ergo primò omne corpus naturale per se loco mobile esse.

VI. 2. Omnis linea vel est simplex uel mixta: Simplex vel recta vel circularis: rectam vocamus brevissimam à puncto ad punctum ductam. Circularis vero est curva ubique à centro æqualiter distans. Atque plures simplices dari non possunt: reliquæ enim omnes mixtæ sunt, vel ex meris circularibus, vel ex meris rectis, vel ex rectis & circularibus. Cum ergo perspicuum sit, quod secundum lineam fit, secundum aliquam ex his fieri, (plura enim linearum genera non dantur:) Omnis autem latio secundum aliquam lineam fiat: Sequitur etiam secundum aliquam ex his fieri. Hinc merito nunc ponimus omnem lationem vel simplicem esse vel mixtam, simplicem rursus vel circularem, vel rectam; Rectam dicimus quæ fit secundum lineam rectam; eamque rursus duplicem facimus sursum & deorsum. Motus sursum est, qui fit secundum lineam rectam à medio. Deorsum qui fit ad medium. Circularis fit circa medium. Atque ita tres lationes simplices sunt 1. sursum h. e. à medio 2. deorsum, hoc est ad medium. 3. Circularis seu circa medium.

VII. 3. Vnumquodque corpus naturale, aut simplex est aut ex simplicibus compositum. Simplex suum sibi principium motus habet, ob quod etiam per se certò modo mobile dicitur, ut ignis qui sursum, terra quæ deorsum movetur. Huic etiam motio simplex necessariò competit. Compositorum autem motiones mixtæ sunt, & cientur composita nu-

A 3

tu

tu ejus simplicis quod prædominatur. Sic si aliquod ex terrâ aquâ & igni compositum ascendat sursum utique juxta simplex prædominans, ignem nimirum hoc fiet. Et omninò prout natura corporis se habet, ita quoque motus inde fluens: & qualis motus, talis quoque corporis natura est. Si enim lex ergò corpus simplici motu movebitur, & quod simplici movetur motu simplex erit corpus. Ponamus enim, quod simplici movetur motu corpus mixtum esse, movebitur, per ea quæ jam posita sunt, secundum prædominans simplex. Atque ita motus hic illius simplicis necessariò erit.

VIII. 4. Vniuscujusque simplicis corporis unus est simplex motus secundum naturam ei competens. 5. Duorum contrariorum motuum quando unus inest præter naturam, alter secundum naturam inest. 6. Contrariorum contrarij sunt motus. 7. Contrarij motus dicuntur ob loca contraria. 8. denique ponimus circularem motum dari in natura rerum. *Hinc sequuntur Demonstrationes.*

IX. 1. Datur corpus simplex quod circulari movetur motu. Dato motu simplici datur corpus aliquod simplex quod suapte naturâ hoc motu fertur. Motus circularis est simplex & datur in naturâ rerum. E. dabitur aliquod corp^o simplex quod suapte natura hoc motu ferri aptum est. Major est principiû quod posuimus thes. 7. Minor est hypothesis, thes. 8.

X. *Alia demonstratio eiusdem problematis ducens ad impossibile.* Ponamus non moveri corpus illud simplex suapte naturâ hoc motu: concessum autem porrò sit. 1. quodlibet corpus motu aliquo aut secundum aut præter naturam moveri. 2. hunc isti

con-

contrarium esse. 1. Vnum uni esse contrarium. Ex
his ita argumentamur: Omne corpus quod suo mo-
tu non movetur alieni corporis motu per vim cietur.
Sed corpus hoc cui motum simplicem circularem
inesse diximus non movetur motu suo naturali E.
alieni corporis motu per vim cietur. Dicatur ergo
alterum corpus cuius vi cietur B hoc verò A. Ma-
ior est principium ex thes. 7. Minor est ex falsa ad-
versarij hypothesi. Porro: Quodcunque per vim cor-
poris alieni motu atque ita non secundum naturam
movetur, præter naturam hunc motum habet. Sed
corpus A. ita movetur E. corpus A præter naturam
hunc motum habet. Major est principium in hac
thesi positum. Minor est conclusio præcedentis syl-
logismi. Porro: Vnumquodq; corpus simplex quod
præter naturam simplici motu fertur, simplici con-
trario secundum naturam movetur. Corpus A cir-
culari præter naturam fertur. E. corpus A motu ali-
quo secundum naturam qui circulari contrarius sit,
movetur. Hoc autem est impossibile.

XI. Nam præter circularem duo adhuc sunt
motus simplices, Rectus sursum & rectus deorsum;
qui duo motus inter se contrarij sunt. Ponamus er-
go nunc motum rectum sursum corpori A. quod cir-
culariter præter naturam moveri dictum est, secun-
dum naturam competere: Recto autem, qui sursum
fit, contrarius est rectus deorsum. Non ergo unū uni
contrarium est, quod est impossibile, quum sit negatio
principij tertij præcedentis thesios. Idem eveniet im-
possibile si ponam⁹ rectum deorsum ei secundum na-
turam competere. Præterea motui circulari planè ni-
hil contrarium esse paulò post demonstrabitur. Datur
ergo

ergo necessario corpus simplex quod suapte natura
circulariter fertur, quoderat demonstrandum.

XII. *Secunda Demonstratio:* Motus circularis
est omnium primus 1. dicendum est quid primum
hic dicamus: Est autem primum quod in suo genere
perfectum est. Perfectum enim omne antecedit im-
perfectum. Perfectum autem est cui nihil deest. 3.
Phys. t. 63. nihil autem deest ei cui nihil addi potest
ejusdem generis. *Hinc demonstratio:* Quicumque mo-
tus est omnium perfectissimus, est etiam omnium pri-
mus: Circularis est omnium perfectissimus E. circu-
laris est omnium primus. Major est immediata ex
definitione primi. Minor ita porro demonstratur:
Qui motus simplex fit secundum lineam simplicem
cui nihil addi potest, cum omnibus reliquis aliquid
addi possit, est omnium perfectissimus; Sed circularis
fit secundum lineam simplicem cui nihil addi potest, E.
circularis est omnium perfectissimus. Major est im-
mediata ex defin. perfecti. Minor est etiam imme-
diata ab experientia linearum circularium. Tantum
hic addendum est, lineas rectas perfectas non esse cum
ijs semper aliquid addi possit. Quære autem quis
posset, annon infinita linea recta talis sit, ut ei nihil
addi possit, cum careat terminis? Sed linea recta &
hoc modo est imperfecta, cum terminis suis debitis
caret: ad esse enim lineæ spectat habere extrema duo
puncta: si verò finitam consideremus, ei semper ali-
quid addi posse deprehendimus: nulla enim linea
recta finita tanta est, ut nihil præterea ei addi possit.
Est ergo circularis motus perfectus reliquis motibus
imperfectis existentibus.

XIII. *Demonstratio tertia:* Datur quædam in
rerum

rerum naturâ corporis substãtia diviniõr & pri-
or hac corporum constitutione. Cum ab expe-
rientiã hoc notum sit principium; ex essentia rei flu-
ens nobilius proprium nobiliorem arguere essen-
tiam, & impossibile sit nobilius proprium ex ignobi-
liori essentia produci, & contra: immediati loco hic
ponimus; primum omnium motuum, primum omni-
um corporum requirere. *hinc demonstramus.* Quod
omnium motuum primo suã naturã movetur est o-
mnium primum corpus; quod circulariter move-
tur omnium motuum primo fertur E. quod circula-
riter movetur omnium primum corpus est. Major
est immediata. Minor est ex demonstratione Se-
cundã. Quæ vero in hac inferiori regione sunt se-
cundum lineam rectam tantum moventur, ignis &
aër sursum, aqua & terra deorsum. His autem om-
nibus circulus est prior.

XIV. Ponamus autem illud quod in circulum
volvitur habere naturam cum inferiorum constitu-
tione convenientem: ponaturque possibile ignem
ferri circulariter & materiam cœli constituere (id
enim veteres plerique statuerunt.) idem tamen rur-
sus demonstrabimus. Certum enim est ex superio-
ribus, qui motus simplex cuiuspiam inest præter natu-
ram, alii cuiuspiam corpori inesse secundum naturam:
quod quidem exinde est, quia omnis simplex motus
aliquod simplex corpus requirit ex cuius naturã pro-
ducatur. *Hinc ita inferimus:* Quodcunque motu re-
cto movetur secundum naturam, necessariò circulari
præter naturam volvitur sed ignis recto secundum
naturam. E. circulari præter naturam. Major est

B

im-

immediata ex principio cōmuniōri. 4. thesi 8. hic enim redditur magis proprium. Minor est principium ab experientia. Porro: qui motus cui piam inest præter naturam, necessario requirit aliquid cui secundum naturam inest. Sed igni inest circularis motus præter naturam. E. alteri ab igni secundum naturam competet. Atque ita rursus probatum est dari aliquid præter hæc diversæ ab his naturæ cui circularis motus secundum naturam inest, sicut rebus igni vel terræ. Major autem uti dictum ex thesi 7. aliàs enim daretur simplex motus sine corpore simplici ex cuius naturâ fluit. Minor est ex præcedenti conclusione.

XV. *Demonstratio 4.* Corpus simplex circulariter motum neq; leve, grave est. *Primò* dicamus ex c. 3. l. 1. de cæl. quid grave quid leve sit, quoad satis ad usum præsentem. Grave autem est quod aptum est ad medium ferri. Leve id quod aptum est è medio ferri; Gravissimum id quod sub ijs omnibus collocatur quæ deorsum feruntur, v. g. terra omnium gravissimum corpus est, cum sub omnibus quæ deorsum ad medium feruntur collocetur. Levissimum id dicitur, quod super omnia collocatur quæ sursum feruntur, hoc est quod maximè à medio distat. v. g. ignis omnium levissimus est, cum super omnia quæ sursum feruntur ascendat. *Secundò* omne corpus quod sursum aut deorsum fertur levitatem aut gravitatem habet aut utrumque. *Nota* verò idem corpus posse simul & levitatem & gravitatem habere, sed non ad idem, ut aqua ad aërem est gravis, ad terram levis. *Hiscè positis ita argumentamur.*

XVI. Quod non potest aut secundum naturam,
aut præter naturam ad medium, aut à medio ferri ne-
que leve neque graue est. Corpus circulariter motum
suapte naturâ, neque è medio neque ad medium aut
secundum aut præter naturam ferri potest. E. corpus
simplex circulariter motum neque leve neque grave
est. Major est immediata ex definitione leuitatis &
gravitatis. Minor continet duo 1. nec secundum 2.
nec præter naturam ei rectum motum competere.
Non secundum naturam ita enim duo simplices mo-
tus uni corpori secundum naturam competere-
nt quod contra principium 4. thes. 8. Nec præter natu-
ram: ponamus enim sursum ita ferri. *Hinc colligimus:*
Quodcunque sursum præter naturam fertur, deor-
sum secundum naturam ferri debet. Circulariter
motum sursum fertur præter naturam E. Circulari-
ter motum fertur deorsum secundum naturam. Ma-
ior est immediata ex principio 5. thes. 8. Minor est
hyphothesis secundum aduersarium vera. Con-
clusio autem est impossibilis per principium 4. thes. 8.
impossibile enim est idem & circulariter ferri, & de-
orsum. Patet ergo corpus simplex circulariter mo-
tum neque leve neque grave esse: Quod erat demon-
strandum.

XVII. *Demonstratio quinta:* Nulla pars illius
corporis quod circulariter movetur leuitatem
aut gravitatem habere potest: Quodcunque ne-
que sursum neque deorsum ferri potest, leuitatem aut
gravitatem habere nequit. Nulla pars corporis
circulariter moti sursum aut deorsum ferri potest. E.
Nulla pars potest habere leuitatem aut gravitatem.

Major est immediata ex defin. leuitatis & gravitatis. Minor ita porro demonstratur. Quod habet naturam corporis illius quod circulariter fertur, sursum vel deorsum ferri nequit, pars corporis versi illius quoque naturam habet. E. pars illius neque sursum neque deorsum fertur. Major est immediata: quid enim aliud est esse corpus quod sursum vel deorsum nullo modo ferri potest: quam tale corpus esse quod naturam circulariter moti habet: cum supra positum sit, præter tres illos simplices motus nullum præterea inveniri. Minor est iterum immediata: estque ex defin. simplicis corporis. Simplex enim corpus dicimus cujus partes omnes eam naturam habent quam habet totum. Hinc est quod pars circulariter moti nihil aliud sit quam aliquid habens naturam totius corporis quod ita movetur: est enim illud simplex.

XVIII. *Demonstratio s.* Quod circulariter movetur ingenerabile & incorruptibile est. I. quid ad generationem requiratur ex Aristotelis 8. phys. addisci debet: quicquid enim generatur ex contrario & subjecto fit quodam, & quod corrumpitur subjectâ materiâ & à contrario & ad contrarium corrumpitur. *Hinc demonstratio talis sit.* Quod nihil contrarium sibi habet, generabile & corruptibile non est, quod versatur nihil contrarium habet. E. quod versatur generabile & corruptibile non est. Major ex generationis & corruptionis natura est, eamque ex Physicis notam esse ponimus, vel si non nota sit tanquam hypothesein assumimus. Minor patet: Cujuscunque corporis motui nullus motus contrarius est
illud

illud ipsum quoque nihil sibi habet contrarium. Eius
quod versatur motui nullus motus est contrarius. Er-
go quod versatur nihil habet contrarium. Major
est ex principio 6. thes. 8. Ponamus enim corpus
versatum habere aliquod contrariæ naturæ corpus,
non vero motum contrarium: tunc corpus illud vel
planè nullo motu moveri poterit, quod est contra
principium thes. 5. positum: vel motum habebit non
tamen contrarium, quod est contra principium 6.
thes. 8. Minorem declarat Arist. c. 4. (illud autem
versari dicimus quod secundum lineam circularem
moveretur) si ergo huic motui aliquid contrarium
invenitur, rectilineus vel maximè erit, & is rursus
vel qui deorsum, vel qui sursum: si is qui deorsum; jam
huic contrarius est sursum: antea autem & circularis
ponebatur contrarius. Et ita non unum uni con-
trarium est, quod absurdum.

XIX. Deinde, quis in curvis eodem modo pos-
set dicere fingi posse duo extrema ac in rectis lineis,
sint. v.g. A. B. sit ergo A. contrarium ipsi B. sed si con-
trarietas inter hæc duo puncta statuitur, ratione in-
terjectæ lineæ rectæ concipi debet non enim nisi uni-
ca esse potest interjecta; curvæ vero infinitæ; possunt
enim ex infinitis punctis duci curvæ infinitæ quæ in-
ter hæc duo puncta comprehensa sint. Eodem
modo si semicirculi duo extrema assumamus C & D:
possunt quidem hæc duo puncta dici contraria: sed
respectu semidiametri: unumquodque enim ab alte-
ro per lineam rectam distat: Contraria autem dicun-
tur, quæ maximè distant. Si ponamus duos semicir-
culos & ab E per G ad F motum contrarium ei di-
camus, qui ab F per H ad E. ponamus enim EF con-

B 3

tra

traria, non tamen ob semicirculos sed ob lineam re-
ctam, quæ interjecta est, dicentur.

XX. Si integrum assumamus circulum. finga-
musque unum motum fieri ab A per C versus B, al-
terum à B per C versus A: erunt tamen motus illi non
contrarii. Contrarii enim dicuntur ob loca con-
traria; sed hi motus ad unum fiunt punctum. Quibus
ita demonstratis apparet corpus quod versatur nec
generabile nec corruptibile esse. Ex quo rursus de-
monstrari potest nec augeri vel minui posse, cum au-
ctio & diminutio generationem & corruptionem si-
bi adjunctas habeant, nam id quod accrescit à pro-
pinquo quodam accedente subeunteque resolutio-
nem in materiam, augetur. Ex hoc porro ostendi
potest non alterari secundum tactiles qualitates:
videmus enim naturalia corpora quæ mutantur in
passionibus incrementa & decrementa suscipere.

XXI. *Demonstratio Sexta:* Quod versatur non
est corpus in infinitum extensum. Quod circu-
lariter movetur circa centrum movetur. Ducantur
ergo ex centro duæ lineæ quæ necessario in infini-
tum ductæ erunt: assumatur intervallum inter has
duas lineas. Intervallum autem voco magnitudi-
nem, quâ nulla major inter duas lineas ductas sumi
potest: hoc autem inter duas infinitas necessario in-
finitum erit: quod si enim assumatur finitum, utiq;
poterit inter duas lineas istas infinitas aliquod ma-
jus assumi atque tunc minus hoc intervallum non est.
Nunc ita ratiocinamur: Quod intervallum inter duas
ex centro ductas comprehensum pertransire non
potest, circulariter moveri nequit, Nullum infini-
tum

lum corpus quod versatur, intervallum inter duas
lineas ex centro ductas comprehensum pertransire
potest. E. nullum infinitum corpus quod versatur
moveri potest circulariter. Hoc autem est impos-
sibile: idem enim simul moveri & non moveri non
potest. Major est immediata: quid enim aliud est
circulariter moveri, quam intervalla linearum ex
centro ductarum pertransire? Minor porro ita pro-
batur: Quodcumq; infinitum intervallum habet, inter
duas ex centro ductas lineas, pertransire illud non
potest. Infinitum corpus quod versatur infinitum
semper intervallum habet inter duas ex centro lineas.
E. infinitum corpus quod versatur intervallum inter
duas lineas pertransire non potest. Major non in-
diget probatione: notum enim omne infinitum sequi
transiri non posse: si enim pertransiri posset infi-
nitum esset finitum. Minor est nota ex ijs quæ in
hac demonstratione præmissa sunt.

XXII. Præterea & aliter hoc idem ostendi pot-
est. Omne infinitum circulariter motum infinitum
circulum describit. Nullum corpus potest infinitum
circulū suo motu describere. E. nullum corpus potest
infinitū esse, & simul circulariter moveri. Major est ma-
nifesta & immediata. Minor inde patet: quod enim ter-
minatū, quā parte est termin⁹ & finis infinitum esse ne-
quit: superficies circularis autē terminatur periphe-
ria: eā ergo parte infinita esse nequit. Non ergo potest
ullo modo circulo comprehensum infinitum esse, sicut
nec sphaera infinita esse ullo modo potest, quia clau-
ditur superficie, quomodo ergo infinitus circulus
motu corporis describi potest? Constat itaque cor-
pus quod versatur in infinitum extensum non esse.

XXIII.

XXIII. *Demonstratio septima*: quod versatur laboriosum non est, demonstratio esto talis: quodcunque non indiget aliquo prohibente vel repellente per vim illud quod alio motu moveri aptum est, adeoque hunc motum impedire potest, laboriosum non est. Quod circulariter fertur non indiget tali aliquo. E. quod circulariter fertur laboriosum non est. Major est per se: quid enim est esse laboriosum quàm contranitens impedire. Minor dependet ex demonstratione 5. Nihil enim in se sibi contrarium circulariter latum continere potest. Hinc Philosophus hoc loco l. 2. c. 1. falsam Empedoclis sententiam ostendit, qui ob celeritatem conversionis putavit cælum conservari ne concidat: (eo modo quo hydria aquâ plena dum in gyrum torquetur, aquam etsi gravis sit, non effundit) aliàs enim ruiturum putavit, nisi haberet hunc motum, motu suo per quem ruere posset, celeriores. Hoc enim posito, cælum non potest non esse laboriosum, quod tamen fieri non posse ostensum nunc est.

XXIV. Atque hætenus ea, quæ de corpore circulariter moto demonstrari possunt allata sunt, quod quidem hæc in rerum natura nihil aliud est quam cælum, quod stellas continet in se. Igni enim, Aëri, aquæ, vel terræ, circularem motum in esse secundum naturam non posse, demonstratione 3. dictum est: Stellis si velimus attribuere, & statuere motum diurnum ijs secundum naturam competere, circularem que esse, longè errabimus ab experientiâ. Nontantum enim motus planetarum, sed testante experientiam & fixarum nullo modo esse circularis posset. Solis

lis enim motus, si propriam facultate moveri ponitur
reveram spiralis est. Apparet ergo caelum esse. De hoc
itaque haecenus demonstratum est, quod sit corpus
simplex circulariter motum, divinius & prius his in-
ferioribus, non leve nec grave, ingenerabile & incor-
ruptibile, finitum non laboriosum. Nunc de figu-
ra & regularitate motus ejusdem aliquid dicendum
restat.

XXV. *Demonstratio octava*: Caelum rotunda
constat figuram. Ad id ipsum demonstrandum di-
cendum prius quae sit figurarum omnium prima, in
genere cum superficie, tum corporum: Prius
autem in quoque genere est unum multis, simplex
composito, perfectum imperfecto. *Hinc ita demonstra-
mus.* Quaecunque figura est maxime una & simplex,
prima est reliquarum omnium. Figura circularis est
maxime una & simplex. E. figura circularis est reli-
quarum omnium prima. Major est immediata ex eo
quod antea positum est. Minor ita demonstratur:
Quaecunque figura una linea terminatur, reliquis o-
mnibus sub pluribus contentis est maxime una &
simplex. Figura circularis una linea terminatur, &
praeterea nulla. E. figura circularis est maxime una
& simplex. Major est immediata, cum sit definitio
figurae unius & simplicis. Si id enim figura est, quod
clauditur terminis; una & simplex figura erit, quae
clauditur uno & simplici termino; composita quae
pluribus, qualis est omnis figura rectilinea, triangu-
lum, quadrangulum, & polygonum.

XXVI *Porro*, & perfectam praeter alia hanc figu-
ram esse ita demonstratur; Quae figura tali cingitur
C lineam

lineâ, cui addi nihil potest, perfecta est. Circularis cingitur tali lineâ, cui addi nihil potest. E. circularis est perfecta figura. Major est immediata: quid enim aliud est perfectum, quam cui nihil addi potest, figuræ autem esse in terminari consistit. Figura ergo perfecta erit, cuius termino addi nihil potest. Minor patet ab experientia in mathematicis: rectis enim semper aliquid addi potest, quocumque modo sumptæ fuerint. Sola circularis est cui additio nulla fieri potest. Figuræ ergo reliquæ rectilineæ omnes imperfectæ sunt.

XXVII. Ut autem in planis se habet circulus; ita in corporibus, seu solidis sphaera: hæc enim sola inter corpora reliqua unâ superficie cingitur, reliqua corpora pluribus superficiebus. Est ergo in solidis sphaera prima figura. *Nunc ita argumentamur*: Cui competit prima figura, rotundum est. Cælo competit prima figura. E. cælum rotundum est. Major est ex præmissis: est enim rotundum in figuris primum. Minor ita porro probatur: Primo corpori competit prima figura. Cælum est corpus primum. E. cælo competit prima figura. Major est immediata, si enim alia quam prima figura ei competeret, non esset primum corpus. Minor est ex supra demonstratis illud enim quod movetur circulariter primum esse corpus diximus: hoc autem quod circulariter movetur cælum esse ex dictis quoque constat.

XXIX. *A posteriori idem hoc confirmare licet.* Quodcunque est mensura reliquorum in eo genere est minimum quorum est mensura. Motus cæli est mensura reliquorum omnium motuum. E. motus cæli

cæli est reliquorum motuum minimus. Major est manifesta; neque enim quod alterum mensurat majus eo esse potest: quod ergo omnia mensurat omnium minimum esse debet. Minor inde est, quod eo motu, qui uniformis est, & nunquam cessat conveniat reliquos mensurare: talem autem motum cæli esse postea dicitur: *Porro*: Motus minimus est celerrimus Cæli motus est minimus. E. est celerrimus. Major est immediata, quid enim aliud est in motu celerrimum, quam minimum esse? Minor est ex præcedenti conclusione. Rursum: Motus celerrimus fit per lineam minimam. Cæli motus est celerrimus. E. fit per lineam minimam. *Porro* quod fit per lineam minimam & ab eodem ad idem pergit in sese conversum, rotundum est; Cælum movetur per lineam minimam & ab eodem ad idem pergit in sese conversum E. cælum est rotundum. Major hinc patet: ponamus enim cælum non rotundum, posset exterior quædam in angulo pars citius converti, si magis propinqua centro esset, atque ita possibile esset motum esse celeriores. Minor ex supra dictis & hoc loco præmissis manifesta est.

XXIX. *Demonstratio nona.* Cæli motus regularis est & uniformis. 1. ponimus omnem motum aut difforem, aut uniformem esse. 2. Omnis difformis latio remissionem, intensionem & statum habet; quibus sublatis motus etiam difformis esse non potest. Esse enim motum difforem est pati statum, intensionem, & remissionem. *Nunc ita demonstramus.* Quicumque motus non habet statum, remissionem, & intensionem, difformis non est. Motus cæli non

habet statum, intensiorem, & remissionem, E. motus cæli non est difformis. Major est immediata ex ijs quæ præmissimus. Minor tribus constat; & primo quidem demonstrabimus, motum cæli non habere statum. *Status* enim omnis aut est ibi unde aliquid fertur, aut quò fertur, aut in medio. Veluti in eo unde moventur statum habent quæ præter naturam feruntur: sic terra præter naturam, h. e. sursum lata, statum habet unde fertur hoc est, in medio: motus enim sursum est à medio. In eo verò ad quod feruntur statum habent, quæ naturam moventur; in medio quæ projiciuntur. *Nunc ita argumentamur.* quicquid neque initium, neque finem, neque medium habet, statum habere nequit. Cæli motus neque initium neque finem neque medium habet. E. Cæli motus non habet statum. Major est ex ijs, quæ de essentiâ status dicta sunt, manifesta. Minor mediata ita patet: Nullus motus circularis initium, finem aut medium habet. Cæli motus est circularis. E. cæli motus neque initium neque finem neque medium habet. Et major & minor ex præcedentibus manifesta sunt, ut probatione non indigeant.

XXX. *Deinde & remissionem non habere demonstrandum est. Ita autem argumentamur.* Quicquid nullam habet imbecillitatem, ejus quoque motus remissionem non habet. Cælum nullam habet imbecillitatem. E. ejus motus remissionem non habet. Major est immediata ab experienciâ, videmus enim omnem remissionem ob imbecillitatem esse. & remissio motus naturalis, nihil aliud est, quàm tarditas quædam ex imbecillitate. Minor mediata est & ita probatur

probat. Quicquid nihil præter naturam in se ha-
bet, imbecillitate non est affectum. Cælum præter
naturam nihil in se habet. E. Major est principium ab
experientiâ rerum naturalium. Videmus enim om-
nes imbecillitates, quæ in animalibus sunt, præter
naturam inesse, ut senectus & decrementum. Atque
in animalibus præterea cernimus talia esse compo-
nentia quæ in proprijs locis non sunt. Hinc & mi-
norem rursus probamus: Quodcunque simplex est
non mistum, & secundum omnes partes in proprio
loco, quibusque nihil contrarium; nihil præter na-
turam in se habet. Cælum est simplex non mistum
partesque habet in proprio loco, & his nihil est con-
trarium. E. cælum præter naturam nihil in se habet.
Major est immediata id enim præter naturam inesse
dicimus. Minor constat ex demonstrationibus su-
pra jam adductis.

XXXI. Ex his & tertio patet motum cæli in-
tensionem quoque non habere. Ponamus enim
habere intensionem: necessario habebit & remissio-
nem. Hoc autem fieri non posse jam est demonstra-
tum. Id ipsum autem sequi cuilibet apparebit, qui
quid intensio sit cogitat: Impossibile est enim, esse
intensionis sine remissione considerare. Omnis e-
nim intensio præ requirit remissionem, cujus respe-
ctu ita dicitur. Hastenus de cælo, ejusque affectioni-
bus dictum est, consequens est, ut de astris dicamus.

XXXII. *De Astrorum autem dicendum 1. naturâ 2.
figurâ, 3. Motu. Demonstratio prima.* Stella quævis
ejusdem est naturæ, cum corpore in quo mo-
tum suum habet. *Probamus id hoc modo: Quodcunque*

in aliquo corpore unâ cum ipso aptum natum per naturam suam est simplicimotu ferri, est ejusdem naturæ cum illo corpore. Sed stellæ omnes in cælo unicum eo sunt aptæ per suam naturam simplici motu, circulari nempe, ferri. E. Stellæ sunt ejusdem naturæ cum cælo. Major est immediata, ob ea quæ supra posita sunt. Minor inde patet. Videmus enim Stellas ab ortu in occasum simul cum cælo rapi, & 24. horarum spatio hunc cursum absolvere. Si autem per violentiam hoc fieri statuamus, incommoda orientur multa: nempe quod iste motus non foret diurnus, constans, æquabilis &c. Gemina enim & hæc quæ de cælo dicta sunt, occurrunt.

XXXIII. Sunt tamen nonnulli, qui stellas igneæ esse naturæ contendunt, videntes in hisce inferioribus ab ijs calorem excitari. Qui refutantur à philosopho l. 2. de cæl. c. 7. Rectius itaque calorem in cælo agnoscimus ad effectum, non pro affectu, cum stellæ omnis extraneæ qualitatis sint expertes. Quod verò calorem concernit, neminem arbitramur esse quem fugiat, corpora cælestia in primis lunæ orbem, dum ignem & aërem in orbem rapiunt, aërem alterando & distrahendo calefacere & quasi ignire; neque enim solum hoc in solidis fieri credendum est, quamvis in his celerius deprehendatur, propterea quod aër, qui inter illa intercedit parvo momento ignescat, sed à fluidis quoque, cujusmodi nubes sunt. Motus itaque calorem generat, non quasi motus localis sit calefactio, aut immediatè ad calorem terminetur, sed quia motus distrahit aëris partes, attenuat & rarefacit eas, quam raritatem deinde, quasi necessariam in subiecto dispositionem, calor insequitur. Idem etiam

tiam de lumine, nobilissimâ hâc corporis simplicis affectione, dicendum; quod in sole videre est maximè, hujus enim radij reflexi, & in sese recurrentes magnum hîc, præsertim si recti incidant, calorem efficiunt. Nec solis tantum lumen, sed & lunæ calefacit, ideo enim plenilunij noctes sunt tepidiores, quia tum luna sicut uberiorem lucem fundit, ita subjectis corporibus plus caloris impertit,

XXXIV. *Demonstratio secunda.* Motus primus astris proprius non est, sed eundem à cælo habent. Motum primum appellamus eum qui fit ab ortu in occasum, quo omnes stellæ ferè diurno spatio circulum absolvunt: dicitur hic primus, quia datur adhuc alius, qui est ab occasu in ortum quo sol annum suum, luna menstruum absolvit cursum. Cum ergò sensus testetur talem motum primum dari, constet autem præterea motum hunc tripliciter excusari posse. 1. Si ponitur & cælum & stellæ moveri 2. Si uno quiescente alterum moveri statuitur. Idque iterum fieri potest duobus modis. i. potest enim cælum volvi, stellis in eo positis simul motis. 2. in cælo quiescente stellæ propriâ facultate & liberè, tanquam aves in aère, & pisces in aquis moveri possunt. 3. Si motum istum terræ tribuamus.

XXXV. Hisce præmissis, apparet terrâ quiescente, & cælum & stellæ nullo modo quiescere posse: tolleretur enim id, quod esse sensu deprehendimus. Ac ponatur nunc terram quiescere: postea enim hoc ipsum demonstrabimus, quando de terrâ locuturi sumus. Primò ergo videamus, utrum terrâ quiescente, ambo & cælum & astra moveri possint. Notum autem

autem quo major est circulus eò celeriore requiri motum, si eodem tempore absolvi debet cursus in magno ac in parvo circulo. Præterea observationes Astronomorum testantur, stellas modò propiores modo remotiores esse, ac proinde nunc majorem, nunc minorem circulum spacio diurno absolvere. Hisce ita præmissis dicamus de motu circulorum. Est autè valde consentaneum rationi, partes cali longius remotas à centro celerius quoque moveri, quum majorem describant circulum. Fit autem hoc quia cælum est continuum, partesque omnes in circulum ferri aptæ sunt: uti autem recto motu majus corpus semper celerius movetur, ita in circulari major circulus majorem accipit per naturam celeritatem. Si enim duæ lineæ à centro ad circumferentiam ducantur, semper pars majoris circuli intercepta inter eas lineas major erit; minoris, minor. Hoc idem fit in planis per centrum ductis.

XXXVI. Ponamus autem & stellas peculiari-ter, & proprio motu, & quo magis à centro distant eò celerius moveri. Constituatur ergò, quæ antea in majore constituebatur circulo stella nunc in minori (quod antea ex astronomicis observationibus fieri dictum est) erit motus ejus tardior. Quæritur ergo an id casu fiat. an verò aliam ob rationem, quod si casu fieri dicamus, utique induabus vel tribus contingeret, in omnibus necessariò minimè, quod enim in omnibus & semper fit, à fortunâ non est. Hoc autem fieri deprehendimus: Et insuper in hisce quæ sunt naturâ non est id quod fit casu: Quod si non casu, certè propter orbis seu circulos hoc fieri necessarium est: nihil quippe præterea dari potest. *Ita enim*

enim

argumentamur: Quodcunque à diverso posito in orbibus motum mutat, & prout in majori consistit circulo celerius, prout in minori tardius movetur, ab orbibus motum suum habet: stellæ celerius & tardius proportionem circuloꝝ moventur. E. stellæ ab orbibus seu circulis motum suum habent. Major manifesta est ex ijs quæ præmisimus. Minor est ab experientia, quâ deprehendimus quasdam modo propriores modo remotiores esse, atque adeò modò majores, modò minores circulos describere; quos cum æquali, diurno nempe spatio absolvant, apparet necessariò motum earum modò celeriorẽ, modò tardiorẽ esse.

XXXVII. Nunc quoque an cælo quiescente astra propriâ facultate moveantur facile apparere potest: quod si enim hoc ponamus, ea omnia absurda sequentur; quæ modo ex motu proprio stellarum sequi diximus. Quin & ex hoc fiet, ut nullus detur motus circularis: quod planè contra rationem: nulla enim stella sive fixa, sive erratica sit, exactè in circulum redit, si propriâ facultate moveri statuatur. Atq; ita mixtis movebuntur omnes lineis sed cum detur rectilinearis motus, mirum cur natura solum circularem omiserit.

XXXIIX. Cum igitur neque cælum & stellas simul, neque stellas solum moveri probatum sit: restat cælum moveri, stellas verò quiescere, & infixas in ipsis orbibus ferri. Atque ita nihil absurdi sequi videmus hoc statuentes. Quod si autem vel maxime stellas per se moveri velimus ponere: ponamus porro eas rotundas esse, quod & postea demonstrabimus. Rotundi autem duo motus per se sunt, volutationis scil. & conversionis: (progressivus enim rotundo per se non competit) versari autem non pos-

D

sunt

sunt: manerent enim hoc modo in eodem loco, cujus tamen contrarium experientia testatur. Volvi quoque non possunt: Omne enim quod voluitur versatur; versari autem lunam non apparet, cum perpetuò unam eandemque nobis ostendat faciem. *Demonstratio ergo talis est: Quodcunq; per se movetur, movetur motu sibi accommodato, stellæ non moventur motu sibi accōmodato. E. stellæ non per se moventur.*

XXXIX. Possset quis motum progressivum nobis obtrudere: sed contra hunc est demonstratio sequens: Cuicumque natura omnia instrumenta, quibus quid per se procedere potest, abstulit, ita ut in eo nihil planè commune cum ijs inveniatur quæ per se moventur, non per naturam procedit sed forsan casu. Sed in stellis hoc deprehendimus. E. non procedunt per se; Sed casu. Nihil autem casu natura facit. Concludimus nunc rectè hastenus ostensum esse assumptumque: & cælum & stellæ rotundâ constare figurâ. Omne enim rotundum in se optimè volvi potest, eodem in loco & celerrimè; ad motum autem quo ad ea loca pergitur, quæ sunt ante, valde inutilis est: cum maximè sit dissimile ijs, quæ per se moventur; rotundum enim nihil dependens nihil prominens habet. Suprà autem in se volvi cælum positum est, stellæ autem ad loca ante pergere testatur experientia. Atq; sic rectè, utroque rotundo existente, alterum movebitur per se, alterum quiescet, & hoc si movebitur ab alio movebitur.

XXXX. *Demonstratio tertia.* Omnes stellæ sunt rotundæ. Ponamus hîc omnes reliquas stellæ eodem se habere modo, prout una se habet. Hoc enim verissimum esse exinde desumi potest, quod eandem

dem naturam cum coelo habeant, quemadmodum ante
fuit demonstratum. Nunc ergo de luna demon-
strabimus à posteriori, quod rotunda sit. Quodcun-
que secundum figuram rotundam accrescit & decre-
scit rotundum est, luna secundum figuram rotun-
dam accrescit decrescit. E. luna rotunda est. De-
monstratio hæc est manifesta ex naturâ luminis luna-
ris. Quod cum à sole, omnium astrorum principe
lumen accipiat, illudque, dum crescit & decrescit,
secundum arcus similitudinem fiat, evidenter eam
sphæricæ figuræ esse colligitur. Deinde ex Eclipsi
solari idem ostendi potest. Etenim, quando sol lu-
næ interpositus obscuratur, concavus & in cornua cur-
vatur videtur: quod secus foret si luna aliam haberet
figuram, siquidem qualem ipsa obtinet, talem exhibet
in sole, quem nobis abscondit.

XLI. Ultimò de divisione stellarum, earun-
demq; motu in specie dicendum. Dividuntur au-
tem stellæ in fixas & errantes, & ita quidem has vo-
cant non quòd nullo contineantur ordine, sed quòd
statis temporibus nunc sibi mutuò appropinquent,
nunc verò recedant, suntque numero septem, eo or-
dine ut infima sit luna, 2. mercurius, 3. Venus, 4.
Sol. 5. Mars. 6. Iupiter. 7. Saturnus. Quod autem
inæquali temporis spatio motum sibi proprium ab-
solvant, circulorum, quos decurrunt, diversitas est
in causâ. hi enim quo longius à centro sunt remoti
eo majus ad absolvendum cursum requirunt tempo-
ris spatium. & hinc est quod Saturnus 30. annis;
Iupiter 12. Mars duobus; Sol annuo, Mercurius &
Venus quoque annuo ferè spatio cursum absolvant;
Luna autem mensem tantum requirat. fixas visu per-

ceptibiles in firmamento numerarunt veteres 1022.
Quamvis autem à veteribus immobiles ratione mo-
tus secundi habiti fuerint; Deprehensum tamen
hodiè est, easdem 70 annorum ferè spatio unum
gradum absolvere.

XLII. Nunc de terrâ dicendum restat. Nam
multa antea posuimus quando de cælo & stellis de-
monstravimus, quæ ex naturâ ejusdem cognoscenda
sunt. Nolumus autem opiniones omnes veterum
quæ de figurâ, situ & motu, dixerunt adducere. Vi-
deatur Arist. c. 13. l. 2. Sufficiat adduxisse quasdam
demonstrationes. Terra ergò vel movetur vel quie-
scit: & si movetur, vel circa aliquod medium instar
stellæ fertur, vel circa proprium centrum semper in
eodem loco permanens. Sit ergò.

XLIII. *Demonstratio*. Terra neque circa pro-
prium centrû neq; circa alienum fertur. Cujus-
cunq; enim simplicis corporis partes circulari motû
naturâ non feruntur, illud totû quoq; circulari motu
non potest ferri. Terræ partes nullæ circulari motu fe-
runtur. E. Terra tota circulari motu ferri non potest.
Major est ex definitione simplicis corporis, (simplex
enim dicimus cujus omnes partes ejusdem naturæ
sunt cum toto) & proinde immediata. Minor pa-
tet: omnes enim terræ partes per lineam rectam de-
orsum moventur: Si autem & circulariter per natu-
ram moverentur: unum idemque corpus simplex
duplici moveretur motu. Quod est impossibile per
ea quæ supra posita sunt. Quia ergò non secundû na-
turam movetur motu circulari; apparet præter naturâ
ita ferri ac proinde motum violentum esse nec con-
stantem; quod absurdum. Quia una eademq; ter-
ræ par

ræ pars, quando deorsum movetur, simul motu secundum, & præter naturam, feretur. Quod impossibile.

XLIV. *Demonstratio secunda* Partes terræ ad universi per se, ad terræ medium per accidens feruntur. Dicitur est supra cælum moveri circulariter movebitur ergo circa medium. Medium autem illud constitui debet, quod circulariter ferri non potest, qualia sunt omnia ea, quæ motu recto feruntur: circa hæc itaque erit motus. Circa quod verò motus circularis fit, non nisi rotundum esse potest, perspicuum ergo est, hoc quod ex terrâ, igni & reliquis elementis compositum est, & in quo hæc continentur rotundum esse. Ponamus præterea, quod jam cognitum est, motus terræ & ignis contrarios esse; *Hinc demonstramus.*

XLV. Quicquid fertur ad locum maximè distantem ab eo loco qui est in extremitate rotundi, ad medium illius fertur. Terra ad locum talem fertur. E. Major est ex naturâ rotundi; ab extremitate enim rotundi maximè distat centrum, quòd omnes lineæ ductæ ad circumferentiam æquales sunt inter se: si enim extra centrum aliquid sumatur, statim dabitur hoc ab extremitate magis distans. Minor mediata ita porro demonstratur. Quicquid fertur motu contrario cum eo quod movetur ad extremitatem rotundi, ad locum maximè distantem ab extremitate fertur. Terra motu contrario movetur cum tali. E. Major non opus habet demonstratione: Motus enim contrarij ad contraria sunt loca: loca autem contraria ab invicem maximè distant: hæc enim contraria dicimus. Minor rursus apparet inde, quòd ignis motui

D 3

ter

terra mot^o contrarius posit^o est, ignis autē petit extre-
mitatē spherę lunę attingentē, quę necessario rotun-
da est, ob motum spherę; unde terra locum contra-
rium extremitati petit.

XLVI. Restat ut terrę partes simul ad centrum
moveri ostendamus. *Demonstramus id ipsum hoc modo:*
Cujuscunq; partes non secundum lineas parallelas,
ad rectos tamen feruntur angulos, eę ad ejusdem cen-
trum tendunt. Partes omnes terrę non secundum
lineas parallelas, ad rectos tamen semper angulos de-
orsum feruntur. E. omnes partes terrę ad ejusdē cen-
trū ferūtur. Major ei qui geometrię initia quodāmo-
do cognita habet, notissima esse potest. Minor est ab
experientiā. Manifestū ergō est ex his terrę partes per
se ad universū, per accidēs simul ad centrū terrę ferri.

XLVII. *Demonstratio tertia* Terra in medio u-
niversi naturaliter quiescit. *Demonstr. talis sit* Cu-
juscunque corporis simplicis pars nulla à medio nisi
vi illatā, ferri potest, illud totum naturaliter in me-
dio quiescit. Terrę nulla pars, nisi vi illatā à medio
ferri potest. E. terra in medio naturaliter quiescit. Ma-
jor est immediata, modò quid corpus simplex sit in-
telligamus. Minor ex præcedentibus demonstratio-
nibus ostenditur ita: Quęcunq; ad medium naturā fe-
runtur non nisi vi à medio movētur. Terrę partes na-
turā ad mediū ferūtur, uti demonstratione probatū.
E. non nisi vi à medio auferri possunt. Major inde est;
ponam^o enim naturā è medio ferri posse. Hinc ita ar-
gumētatur: Quędā corpora simplicia, quę ad medi-
um naturā ferūtur & à medio naturā ferri possūt. Quę-
cunq; ad mediū naturā feruntur, motu contrario ei,
qui à medio fit moventur. E. quędā quę motu contra-
rio

Ratio ei quia a medio fit moventur, naturam a medio ferri possunt. Quod impossibile: supra enim positum, unum simplicem simplicis corporis esse motum; non vero contrarios. Minor autem est ex ijs quae supra posita sunt. Major ergo erit impossibilis, cum ex hac posita impossibile sequatur. Ex his ergo constat Terram naturaliter in medio mundi quiescere.

XLVIII. Demonstratio Quarta. Terra rotunda est natura. Ponamus terram in ortu, ac si jam confluere; Cum igitur potentiam congeries sit, ea quae adhuc se gregata sunt naturam ad medium ferentur, uti ex antea dictis constat. Hic positis *hoc ita demonstramus*: Quaecumque partes aequè extremum ubique a medio distare faciunt, in toto figuram rotundam constituunt. Terrae partes extremum aequè a medio distare faciunt. E. terrae partes figuram rotundam in toto constituunt. Major est immediata: rotundum enim quid aliud est, quam figura cujus extremum aequè a medio distat ubique? Minor rursus demonstratur. Quaecumque partes in congregatione omni ex parte circa aliquod medium aequè addunt, extremum aequè a medio distare faciunt. Terrae partes in congregatione omni ex parte circa medium aequè addunt. E. Major est immediata. Minor porro probatur. Quaecumque partes undique ab extremis similiter ad medium feruntur, similem omni ex parte necessario faciunt molem, & aequè ad medium ubique addunt. Terrae partes undique similiter ad medium feruntur. E. Major iterum immediata est. Minor est ex ijs quae de terrae motu ad medium dicta sunt antea. Ex hisce ergo constat, per naturam suam terram rotundam esse.

XLIX. Cum de sideribus haecenus dictum sit a nobis,


nobis, quantum quidem cum Aristotele ex positis quibusdam cognoscere potuimus: restare videtur, ut dicamus an & in homines aliquid agant sydera: & an hi effectus præcognosci possint. Ac primo non negandum videtur stellas in corporibus hominum aliquid posse: vel enim ex solâ lunâ hoc cerni potest, eam in temperamento hominis immutando multum valere. Quia vero temperamentum mores quodammodo sequuntur, & in inclinationibus hominum regendis stellas occupatas esse apparere potest.

L. An vero de hisce effectibus præsciendis aliqua detur scientia dubitari potest. Videmus senim tum legibus nostris civilibus à Rep. exterminari qui hanc scientiâ tractant: quin scriptura sacra & Ecclesia hos rejicere videtur.

LI. Verum si scientia quædam astrologia esset: forsan hæc non tam contra astrologiam ipsam, quam contra mali-tiosos artifices qui magiâ simul tractarunt dictum videretur.

LII. An ergo scientia astrologica aliqua detur videntum. Ac primò quidem principia investigare impossibile videtur. Quis enim omnium stellarum affectiones seorsim investigare posset? Quin videmus in principijs maximè astrologos differre, unus modo rationali, alter æquali, tertius Campani & Gazali utitur. Hisce distinctis modis fit, ut quæ interdum in domo amicorum in hoc, in altero in domo inimicorum collocentur; & ita insequentibus. Deinde universales isti modi quoque non sunt: non enim ubique licet thema per hos modos erigere. Est enim ubi integer zodiacus singulis diebus unitur cum horizonte: ibi ergo tantum homines aut vivunt, & contrahunt matrimonia; cum hæc duæ domus per horizontem constituantur, aut certe plane nihil prædici poterit.

LIII. Si velimus iudicium speciale considerare, & quid directiones, quid profectioes sint explicare; quantas nugas agerent homines facile apparere posset. Quomodo enim illud quod non progreditur hoc motu simul hoc motu progredietur, & quod tali motu progreditur, simul alio motu progredietur? Quod si excipiant ratione effectus hoc fieri: quæritur unde hoc constet, annon vel ex singulari diaboli revelatione, vel tantum ex aliquo figmento. Sed de his latius tractare tempus non permittit. Nunc hinc finem facimus.



99 A 6919

ULB Halle

3

002 631 202



Sl.

Reho. ✓


VD17



DISP

70





31.
AVSPICE IEHOVA
SVB PRAESIDIO
VIRI CLARISSIMI ET EXCELLEN-
T I S S I M I
D N.
M. IOHANNIS à FELDEN
IN ILLVSTRI AD ELMVM IV-
LIA Mathematicum Professoris publici
Præceptoris & fautoris sui ætatem
observandi.
DISPV TATIONEM HANC
P H Y S I C A M
De
C O E L O
P V B L I C E T V E B I T V R
IVSTVS MULLERVS RON-
nenberga Brunovicenf.
Aut. & Respon.
In novo Iulæo horis ante- &
Pomeridianis.
Ad diem VI. Iun.
H E L M A E S T A D I,
Excudit HENNINGVS MULLERVS Acad. Typ.
Anno c^o l^o c^o XL.